

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Oratio bk
cum fonte primo

Multum iuuat orationis puritatem, si
in omni loco uel tempore nos ab actibus
temperemus illicitis, si semper ab ociosis
sermocinationibus auditum pariter
castigemus et linguam.

Quaecumque enim sepius agere, loqui
uel audire solemus, eadem necesse est
sepius ad animum quasi solitam
propriamque recurrunt ad sedem;
et sicut uolutabra sues palustria
columbe limpida solent
frequentare fluenta, ita cogitationes
impuram mentem immunde perturbant,
castam spirituales sanctificant.

Beda de templo Salomonis.

Multum autem iuuat orationis puritas si
in omni loco uel tempore nos ab actibus
temperemus illicitis si semper ab otiosis
sermocinationibus auditum pariter
castigemus et linguam

si in lege domini ambulare et testimonia
eius adsuescamus toto corde scrutare.

Quaecumque enim saepius agere loqui
uel audire solemus eadem necesse est
saepius ad animum quasi solitam
propriamque recurrant ad sedem,
et sicut uolutabra sues palustria
columbae limpida solent
frequentare fluenta ita cogitationes
impurae mentem inmundam perturbant
castam spirituales sanctificant.

Beda Venerabilis, *Homiliarum euangelii
libri II.*, 1, 22 (CCSL 122, D. Hurst ed.,
p.160, ll.163-172).